

bis duntaxat conjunguntur. *L. 89. ff. de Leg. 3. L. 142. de V. S.* Duae priores quod concernit differentias, de his dubium non est, quia ita conjuncti proprie tales sint, & juris accrescendi effectum consequantur, id quod de ultimâ negare nonnulli sustinent & quidem in legatis, licet in hæreditatibus id non illibenter largiantur vi notissimi juris principii, quod pro parte testatum & intestatum decedere patitur neminem. *L. 7. ff. de R. L.* Alii autem rectius sentientes concedunt e quidem in aliarum rerum legatis; excipere tamen usufructum haud verentur: ejus sententiæ fundamentum est usufructus personalitas, quæ pars ejusdem deficiente persona non ad collegatarium sed proprietarium transit *arg. §. 3. I. de Usufr. conf. Hahn. h. n. 4.* Nos autem communem sententiam ut veritati maximè conformem amplecti non dubitamus asserentes in verbis tantum conjunctis jus accrescendi ut in cæteris conjunctionis speciebus obtinere. Corroboramus autem hoc assertum variis Juris textibus, inter quos agmen ducit *L. 89. ff. de Leg. 3.* ubi quæritur, num verbis conjunctus patior sit re conjuncto? & magis est, inquit Paulus, ut iste præferatur; unde necessariò inter eos jus accrescendi dabitur, cum aliàs insulsa foret proposita quæstio. Sic etiam *L. 16. §. fin. ff. de Leg. 1. L. 66. ff. de hæred. instit.* idem probant eximie. *Conf. A. Fab. l. 6. conject. c. 1. Wisenb. h. n. 12. Wesenb. h. n. 4. Hahn. ib. Bus. ad L. pen. b. n. 2. Perez. ad C. de cad. toll. n. 13.*

Ad *L. 4.* Titius in testamento fundi Corneliani proprietatem deducto usufructu legat Sempronio, usufructum, Mævio, Cajo & eidem Sempronio æquis portionibus relinquens, ut ita duos trientes priores capiant, tertius cum proprietate miscendus cedat Sempronio. Accidit autem, ut capite minutus Mævius excidat triente suo, quæritur ergo, cuiam accrescat deficientis portio? Respondetur dividendam esse inter Cajum & Sempronium. Ratio dubitandi hæc est, quod per capitis diminutionem amissus usufructus revertatur ad proprietarium suamque cum causâ consolidetur *L. pen. C. de Usuf.* quo posito, uti negaturum arbitror neminem, constabit, divisioni locum minimè hoc in casu concedi, sed integrum soli Sempronio trientem competere. At rationem decidendi suppeditat præsumta testatoris voluntas, quam facta importat conjunctio. Non enim dicis causa plures conjunxisse censendus